



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 45. Nunquid & [...] ex discipulis es hominis istius. v. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Petrum & eum ad Præsidentem ostij adducit eidem propositum inducendi Petri exponit, illa consentit & mediator Petrum introducit post consensum. Ecce omnia ritè acta & Petrus legitimè in Palatium Pontificium inductus est ut incipiente vacare Palatio per desitionem eius qui tunc erat, Pontifex designatus possessionem vacantis Palatij confestim adire possit, seu aditam tenere.

O Ostiaria, si tu scires quis esset qui per notum Pontifici introducitur, quod nimirum is esset successor tui Domini in Pontificatu mox futurus & quod ille intraret ad vacaturi palatij occupandam possessionem; tu certe vel eum exclusisses vel maxima reverentia excepisses. Sed absconditum erat hoc ab oculis tuis mysterium, ideo etiam ex aliis principiis operaris; Interea Deus omnium arbiter & rector etiam per te ita cæcè agentem operatur propositum suum & implet. Quoniam ipse novit omnibus uti, etiam malis, ad optima quæque de flexis.

§. 44. *Dixit ergo Petro Ancilla Ostiaria. v. 17.*

Hactenus bene Petrus & pro Domino suo pugnavit & nolente Domino pugnam & bellum omisit, & iubente Domino abitum suorum abiit aliquantulum & zelo stimulante secutus est eum usque ad ostium aulae Pontificiæ, & discipulo qui notus erat Pontifici, cum venia ostiariæ introductus est legitimè. Iam in eo quod bene ordinatum erat à Domino pro Petro, incipit Petrus impingere & errorem committere, nam ancilla ostiaria, incipit ei loqui & ponere Petro Petram scandali.

O Deus quam raro humana fragilitas in optime à te ordinatis progreditur sine lapsu & scandalo! quam crebræ pedicæ & decipulæ nobis occurrunt & nos hiante ore sorbent, nisi tu Deus ipsas pedicæ occludas vel amoveas vel compescas! cunctæ creaturæ sunt hominibus in laqueum & ruinam nisi Dominus eos custodiat, ex illis etiam una est ancilla ostiaria ista, ut prò dolor videbimus.

§. 45. *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius. v. 17.*

Sermo iste perinde mihi sonat ac si diceret. Ille vir qui te, Petre, introducit iam, discipulus est Christi, novi, & novit Dominus meus Pontifex quia notus est ei & mihi. Ego te, quia iste te introducit, etiam suspicor esse discipulum istius, cuius ipse est discipulus, vel certe huius saltem qui te introducit. idcirco interrogo te nunquid ita est? dic candidè, aves concolores lubenter una volitant & noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se, sic loquebatur ad Petrum ancilla ostiaria, quæ certe malè agebat, cum e-

nim discipulus notus Pontifici ei dixisset de Petro introducendo in atrium & illa non abnuisset ei, non debebat garrulitate otiosa vexare Petrum sic admissum & ei ponere scandalum, cum posset ipsa per se cogitare quod Petrus captivi hominis & periclitantis adeo, non esset se discipulum aut notum confessurus male itaque quæsiuit, quod negandum bene ratio providit.

PRò quantum mali causat garrulitas! non possum explicare, sed magis mirari, quod cum tanta mala ex garrulitate indies videamus, imo sentiamus, eam tamen non exhorrescamus & reseccemus. ibi omnes fere labimur & coinquinamur, ut bene dicat Apostolus: *Qui non est lapsus in verbo hic per-
fectus vir est, &c.*

S. 46. Dicit illi. *Non sum, v. 17.*

Audio verbum tuum Petre, *Non sum.* sed nescio cogitationes tuas quas habes cum verbo isto. Sunt quidem verba hominum notæ earum rerum quæ sunt in animo, sed potest homo & notas dissonantes ab animi notis ponere, mentiendo; & potest adeo imperfectas ponere orationes, ut ex verbis animi conceptus certi nequeant elici, & potest verba ponere tam cata & arguta ut multos sensus etiam oppositos & pugnantes una patiantur. omnes isti tres casus possunt esse in tuo verbo brevi, *Non sum.* O venerande Apostole. Quid igitur determinabo. O beate Petre habes apud te Ioannem qui charitatem semper spiravit: iste mihi inspirat ut verbum tuum triplicem patiens sensum interpreter meliore modo, verbum tuum semel sonare potest. *Ego Petrus non sum discipulus Christi, nec fui nec ero,* iste sensus valde malus est, istum tibi arrogare non audeo quia causam non habeo ita iudicandi de te. Secundo sonare potest hoc: *Ego modo non sum discipulus sive in presenti quia ad tempus recessi vel fugi ex eius schola.* Iste sensus verus est, habet tamen annexam querelam cur id malum feceris tam bene de te merito? 3. sonare potest acute. *Ego Petrus non sum ex discipulis istius hominis qui me modo introduxit scilicet: quia tu Ostiaria quæris an sim ex discipulis hominis istius, & hic introducens est sane iste demonstrabilis homo, a quo imo melius quam intra captivus est demonstrabilis.*

Sed hunc sensum non credo fuisse S. Petri, qui mihi videtur simplicior fuisse quam ut sic argueretur. Volo ergo in secundo sensu relinquere verbum tuum S. Petre & caritate operire si quod in tuo verbo esset peccatum, ut & tu & Dominus noster Iesus & alij operiant multitudinem meo-